Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8293
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

1 Hec sunt que presul animarum in predicationis diversitate custodiat. Ut sollicitus congrua singulorum vulneribus medicamina opponat. Sed cum magni sit studii. Ut exhortandis singulis serviatur. ad singula cum valde laboriosum sit unumquemque de propriis sub dispensationis debite considerationis instruere. longe tamen est laboriosius auditores innumeros ac diversis passionibus laborantes uno eodemque tempore voce unius et communis exhortationis ammonere. Ubi quippe tanta arte vox temperanda est. Ut cum diversa sint auditorum vicia et singulis inveniatur congrua. et tamen sibimetipsi non sit diversa. Ut inter passiones medias uno quidem ductu transeat. Sed more bicipitis gladii tumores cogitationum carnalium ex diverso latere incidat. Quatenus sic superbis predicetur humilitas ut tamen timidis non augeatur metus. Sic timidis infundatur auctoritas. Ut tamen superbis non crescat effrenatio. Sic ociosis et torpentibus sollicitudo boni operis predicetur. Ut tamen inquietis immoderate non augeatur licencia actionis. Sic inquiete ponatur modus. Ut tamen ociosis non fiat torpor securus. Sic ab impacientibus extinguatur ira. Ut tamen remissis ac lenibus non crescat negligencia. Sic lenes accendantur ad zelum. Ut tamen iracundis non addatur incendium. Sic tenacibus infundatur tribuendi largitas. Ut tamen effusionis frena minime laxentur prodigis. Sic prodigis predicetur parcitas. Ut tamen periturarum rerum custodia non augeatur tenacibus. Sic incontinentibus laudetur coniugium. Ut tamen iam continentes non revocentur ad luxuriam. Sic continentibus laudetur virginitas corporis. Ut tamen in coniugibus despecta non fiat fecunditas carnis. Sic predicanda sunt bona ne ex latere iuvent mala. Sic laudanda sunt bona summa. ne desperentur ultima. Sic ultima sunt nutrienda ne dum creduntur sufficere nequaquam tendatur ad summa. ca. 37

2 Et gravis quidem predicatori labor est in communis predicationis voce ad occultos singulorum motus causasque vigilare. et palestrarum more in diversi lateris arte se vertere. multo tamen acriori labore fatigatur. quando unum et contrariis viciis servienti predicare compellitur.